

Qh 291

v. Canystem

Za
4768

Π Ρ Ο Γ Ρ Α Μ Μ Α

MAGNIF. DN. RE-
CTORIS CELEBER. VITE-
bergensium Academiae,

*P. P. in Funeris indicatione, per antiquae Fa-
miliae, ac pietatis eruditionisq; laudibus in
equestri Westphalicae gentis ordine
nobiliss. Adolescentis,*

RABANI à CANSTEIN,

*Qui in vera CHRISTI Θεωρωσις agnitione, fide, &
invocatione, ex hac terrena in caelestem emigravit Acade-
miam, Prid. Id. Martii, Anno Temp. noviss.*

CLC. LC. XIIIC.

*Adiuncta sunt carmina aliquot lugubria, ab huius Defuncti Consan-
guineis & Amicis pietatis & memoriae ergo conscripta.*

BERNHARDVS.

*Preciosa mors Sanctorum; preciosa planè tanquam finis labo-
rum, tanquam victoriae conservatio, tanquam vitae janua, & perfecta
securitatis ingressio.*

X 1995106

VITEBERGAE

Matthæus VVelack excudebat.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

178-112

Reuerendo viro dn.

RECTOR ACADEMIÆ

VVITTEBERGENSIS SALOMON

ALBERTVS, Artis, Medicæ Doctor, & Professor
Publicus.



Alde dolemus, Ecclesiæ & Reipub. causa, multa bona, moderata & felicia ingenia ex hac vita ante frugem auferri, & quasi in ipsa herba extingui, in quibus magna spes virtutis elucebat. Sed scimus, non casu vitam dari aut auferri, sicut scriptum est: Ipse fecit nos, non ipsi nos. Iustum est igitur, nos voluntati diuinæ, quæ nunquam non erga pios optima est, piè modestèq; obtemperare, & flectere animos nostros ad obedientiam *DEO* debitam semper præstandam. Magna quidem & ardua res est hæc patientia: sed tamen homini Christiano in primis necessaria est, & à *DEO* adiuuatur in his, qui eum vera fide inuocant. Estq; magna sapientia & Ecclesiæ Filij *DEI* propria, quòd scimus, eos, qui ex huius mortalis & ærumnosæ vitæ statione auocantur, non euanescere in tenues auras, & in nihilum redigi: sed potius congregari in cœtum beatæ Ecclesiæ, & colligi ad populum suum, vt *DEVS* dulcissimè ad Abrahamum inquit, eum post mortem iturum ad Patres suos in pace: Et Simeon se in pace dimitti petit. Et Apostolus ad Philippenses inquit, *σε ἐπιθυμίαρ ἔχει τὸ ἀναλύσαι καὶ συνῆχθαι εἶναι*: Quo dicto ostendit, se moriendo migraturum esse ex præsentis vitæ veluti diuersorio seu hospitio ad æternam & cœlestem *DEI* consuetudinem. Cupit enim à tristi iugo laborum & ærumnarum huius vitæ, & squalido ac tetro carcere peccati & mortis liberari Paulus, & ex hoc caduco & ruinoso mortalis vitæ habitaculo ad Christi Seruatoris sui conspectum adduci, & in æternum ac cœleste domicilium immigrare. Ideo in eadem Epistola mortem suam & omnium piorū lucrum appellat, quia pro ærumnosa & mortali vitam beatam, & nun.

nunquam finiendam, pro fragili, deformi & infirmo corpore validum, speciosum atq; gloriosum, pro peccato iustitiam, pro momentanea breuitate afflictionis æternum gloriæ pondus recipient. His & similibus efficacissimis consolationibus & promissionibus erigunt animum suum, & fulciunt atq; leuant spem suam omnes fideles, in agone præsertim constituti, quòd certò sciunt, se ab omnibus angoribus & curis liberatos, ad quietum, tranquillum & beatum portum cœlestis Patriæ peruenturos. Hac se quoq; fiducia sustentauit cum toto vitæ tempore, tum imprimis, cum decumberet *ἐκ δὲ μαστι* seu variolis populariter nunc grassantibus, correptus, magnæ spei & ex peruetusta familia equestri in Diœcesi COLONIENSI oriundus Adolescens RABANVS A CANSTEIN, nobiliss. ac ampliss. V. MORDIANI A CANSTEIN, felic. mem. F. Cum enim morbo inualescente, medicamq; operam respuente, spem vitæ longioris non superesse sensisset, totum se ad beatam optatamq; migrationem ex hac misera vita composuit, seq; dulcissimorum scripturæ dictorum recitatione assiduè erexit, & in primis dictum illud Psalmi, quo etiam Christus ipse, iam iam expiraturus in ara crucis, se æterno Patri suo commendauit: In manus tuas commendo Spiritum meum &c. ut sacram quandam anchoram apprehendit, & indefinenter in ore habuit, & identidem clara voce pronunciauit, & tandem eius repetitione DEO spiritum suum placidè ante biduum tradidit: Ut inde liquidò perspiciatur, pñ huius & optimi Adolescentis pectus domicilium & sacrarium Spiritus sancti fuisse, & iam sanctam eius animam, sanguine Filij DEI ab omni labe peccati mundatam, cœlesti frui lætitiâ, luce & consuetudine, & lætissimam illam diem resurrectionis in alta pace cupidè expectare. Etsi autem opt. huic magnæq; indolis & expectationis Adolesc. qui vix An. 16. ætatis attingerat, & ad continuanda præclarè inchoata studia ante Semestre huc cum Fr. FRIDERICO primùm missus erat, longius vitæ spatiū optandum erat quò Patriæ præsidio, & nobilissimæ familiæ ornamento aliquando esse potuisset; necesse tamen est, cum æterno DEO

A ij

lic

sic de ipso visum sit, vt paternæ *DEI* voluntati & consilio patienter obsequamur, eumq; debitis votis precemur, vt nonnullis bonis ingenijs longius viuendi curriculum tribuat, & huius Defuncti mœstissimam Matrem viduam, quæ tam dulcissimi pignoris sui inexpectata & immatura morte in maximum luctum est coniecta, Spiritu sancto suo consoletur, vt cogitatione tam beati placidique exitus filij sui, iam æterna *DEI* consuetudine fruētis, dolorem suum leniat, cum sciat, se hunc dilectissimum filium suum non amisisse, sed in æternam Scholam præmisisse, vbi eum denuò visura & complexura est. De antiquitate & præstantia familiæ huius defuncti Adolescentis multa adduci possent ex veteribus gentis Francicæ & Saxonicæ historijs, in quib, creberrima & honorifica eius subinde fit mentio, nisi breuitate nunc excluderemur, & hæc narratio alterius esset loci. Constat enim de familia & gente nobilium à *PAPPENHEIM*, quæ cum *CANSTEINIANA* vna & eadem est, venisse eam in Saxoniam, ibiq; ei sedem per amplam ob virtutis opinionem laudemq; bellicam attributam esse tempore *CAROLI MAGNI*, quando is, subacta triginta annorum bello Saxonia, multis heroicis viris, domi militiaeq; clarissimis, bellorumq; socijs, in quibus & huius Maiores fuerunt, maximas possessiones, ceu militiae & laborum ac meritorum præmia, datas esse. Ac semper hæc familia equestris totis iam annis octingentis continua successione & serie complures præstantes viros tam bellica atque castrensi, quam togata disciplina spectatissimos protulit, qui eius antiquitatem & gloriam semper auxerunt, maximaq; cū laude conseruarunt ac propagarunt; quibus & hic *RABANVS* accenseri potuisset, si longior ei vitæ cursus diuina voluntate fuisset concessus. Etsi igitur magnum decus est & virtutum inchoatio, ex præstanti familia natum esse; Longè tamen maius *DEI* beneficium & munus est, quando ad Maiorum ornamentum adiungitur veri *DEI* agnitio & inuocatio, quæ in veram & cœlestem Patriam nostram pios deducit, quæ felicitas etiam huic verè nobili Adolescenti diuinitus contigit. Cum autem iustissimum sit, & pietas hoc quoque et humanitas nostra requirat, vt dolorem nostrum luctumq; declaremus

remus

remus ob amissum tam nobilem tantiq; ingenij Academiae huius Alu-
 mnum, quodq; antiquissima familia tanto decore spoliata, moestissi-
 maq; Mater tam dilecto filio & baculo quasi senectutis suae orbata
 est: hortamur Scholasticos, vt societatem doloris sui nobiscum con-
 iungant, & hodie hora II. deductioni funeris frequentes intersint,
 quod efferetur ex aedibus Clarissimi V. Dn. *VITI VVINSHEMII*
I. V. D. ad forum, & in templo Arcis honorifice, praemissa prius con-
 cione funebri, vt meretur familiae defuncti amplitudo & nobilitas,
 sepultura afficietur, ibique singuli sese & Ecclesiam pijs
 precibus *DEO* commendent. P. P. Mensis Martij, die
XVII, Anno Christi, 1588.



CARMEN



CARMEN EPITAFION.

Dederis hæc veteris Lex est: Moriari oportet,
Quisquis mortali sanguine cretus homo es.
Vita infensa homini quasi sumtis auolat alis,
Et celeri semper mobilitate fugit.

Obiectosq; sibi Lethum discrimine nullo
Tollit, & infesto protinus ense necat.

Non genus antiquum, non pectus nobile, corpus
Non tenerum, pietas non vetat ipsa mori.

Heu quot nunc subitâ lugemus morte peremptos,
Spe summâ iuuenes, quos Scola nostratulit?

Hos superesse diu quis non ardentibus optet
Votis? si votis dent pia fata locum.

Optima quæq; malo sibi prima reposcit ab orbe,
Ultima sed linquit pessima quæq; **DEVS**.

Ne bona cuncta malis pereant corrupta, bonorum
Vel numero accedant vt mala versa bonis.

Sic quoq; **CANSTEIN** Æspes longè amplissima Gentis
RABANVS, præter spem nece raptus obit.

Non huic Maiorum series longissima vitam,
Nec genus antiquâ nobilitate tegit.

PAPHEMIANA Domus, quâ **FRANCICA** Terra superbit,
Huic ortûs stirpi semina prima dedit.

Bis quadringentis quæ totis claruit annis,
Nobilis & verè Marte Togaq; fuit.

Tempore, quo duri domuisti **SAXONIS** oras

CAROLE, qui **MAGNI** nomina, Cæsar, habes,
Cæsareas

Cæsareas aquilas summâ cum laude secuta est,

Vnde tulit meritis præmia digna suis.

Iamq; aruis patrijs virtutis amore relictis,

Hostilis victrix occupat arua soli.

Occupat, & longos feliciter occupet annos,

Et videat patriæ lumina multa Domûs.

Quale fuit quondam RABANVS, Lumen equestris

Ordinis, hoc ipso sanguine natus, EQVES.

Hoc genus ingenium RABANO contulit acre,

Nec tamen ingenio PARCA pepercit atrox.

Nam vix ver Homini iuuenilis venerat æui,

Et vitæ dederat iam tria lustra DEVS:

Cum simul instaret festini funeris hora,

Rumperet & vitæ stamina cepta DEVS.

Heu reliquos flores zephyris quæ percita promit,

Hunc FLOREM verno tempore condit humus.

In quibus ante pilos prodit prudentia velox,

Hos quoq; veloci Mors premit atra pede.

Nec potuit pietas caput hoc subducere letho,

Nobile quâ studuit nobilitare genus.

MORDIANI exemplum supremaq; iussa Parentis,

Cura fuit summâ sedulitate sequi.

Iussa HELENÆ Matri, quam VVESTPHALA bone-

Quæ moriens sancto pectore & ore dedit.

(Stat origo,

Cum sobole vt latum nunquam discederet vnguem

A verbo DOMINI, quod sacra scripta sonant.

Hinc & constanti quæ protulit ore LVTHERVS,


Ac omni errorum libera labe docet.

O sancti

304768 OK

O sancti exemplar rarum, sed Nobile Zeli,
O memoranda pij sollicitudo patris.
Onati pietas præclaris cognita signis,
O meritâ in CHRISTVM laude vehenda Fides.
Quæ negligunt multi, Divina volumina vitæ,
Versavit tenerâ nocte dieq; manu.
Integra quot meminit IESSÆI carmina vatis?
Quot sancti Flatus aurea dicta tenet?
Quæ vel Doctoris monitu, vel sponte notârat,
Floribus vt succum sedula libat apis.
His rexit vitam, casusq; leuavit acerbos,
Et repulit diræ tristia spectra Necis.
Novit enim CHRISTI mutatum funere funus,
Vt iam sit fœnus largaq; vita pijs.
A quo parta salus, huic voce precante salutem
Dedit, & promptam pectore sensit opem.
Corpus & hanc animam, dixit, MICHRISTE REDEM-
Quæ trado, manibus, suscipe quæso tuis. (TOR)
Dixit, & exanimes dulcis sopor occupat artûs,
Flatus ab Angelico fertur ad astra choro.
Salve mente poli RABAN E. recepte sub aulam,
Salve carne soli cui datur æde quies.
Iamq; vale: venies olim rediuiuus in axem,
Quâ veniet Iudex CHRISTVS ab axe die.
At citò CHRISTE veni, & fini fine supremo,
Quodcunq; hoc miseros angit in orbe, malum.

M. Christophorus Grunerus Diaconus
Ecclesiæ VViteb.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Za 4768

Canystem

Ο Γ Ρ Α Μ Μ Α

VIF. DN. RE

CELEBER. VITE

ensium Academiae,

is indicatione, per antiquae Fa-

tis eruditionisq; laudibus in

Westphalicae gentis ordine

is. Adolescentis,

à CANSTEIN,

ISTI Θεαυθώπτε agnitione, fide, &

terrena in caelestem emigravit Acade-

id. Martii, Anno Temp. noviss.

o. 10. xlii.

aliquot lugubria, ab huius Defuncti Consan-

pietatis & memoriae ergo conscripta.

RNHARDVS.

torum; preciosa planè tanquam finis labo-

conservatio, tanquam vitae janua, & perfectæ

Velack excudebat.



Reuerendo viro dn. A